



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Guntramus C. 28. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

28. Mart. VITÆ SANCTORUM. 203  
nosse illos funeri, hos animi triumpho  
adesse. *Ex Surio.*

*Ad omnem tentationem, ad omnem tribulationem, ad omnem denique cuiusque modi necessitatem aperta est nobis urbs confugii; sinus Matris expansus est, parata sunt foramina petrae, patent viscera misericordiae Dei nostri. S. Bern. serm. 7. Qui habit.*

S. GUNTRAMUS C. 28. Martij.

Qui Reges salvam majestatem, & regna sua volunt, rectè arces adificant, & propugnacula; sed rectius iidem aras struunt templaque, & ad stipendia optimos praesidiarios, egentes evocant. Inter hos meritò Regem GUNTRAMUM numeramus, pulcherrimum Galliae liliū, & meritò in Marianum hortum transplantandum. Regias hic gazas omnes, vel in sinum pauperum, vel templorum adyta prodigus sparsit. Certavit verò cum GUNTRAMO DEUS, nunquam non victor, si de liberalitate cum homine certamen sit. Et forte fortunâ somno, ad quem à venatione fessum perstreptentis rivuli susurrus invitaverat, aliquantum indulgebat. Hic qui pro dormiente vigilabat, armiger, vidit Dominum cum somno nescio quod animalculum proflare; ei cum pontemense regio fluxisset, aquas superavit, & pro-



204 VITÆ SANCTORUM. 29. Mart.  
proximo spelæo successit, paulò post  
viam eandem relegens ore denuò Regis  
se abdidit. Subinde hic evigilat, & som-  
nium de reperto thesauro narrat. Sed &  
armiger subjicit, quæ vigilans somnia-  
verat. Ergo in specum itur, & ingens  
auri vis eruitur, sed omnis iterum cælo,  
hoc est templis, & egenis transcribenda.  
Quo factum, ut sicam eorum, qui parricidas  
manus afferre regi vel epulo sacro  
accumbenti, vel ad matutinas preces  
eunti parabant, semper Numen excusse-  
rit prodideritque. Tàm firma, ô Reges,  
munimenta templa sunt, tam fidi, si  
admittitis, corporum vestrorum custo-  
des pauperum sunt cohors. *Ex Paul. Diac.*  
& *Greg. Turon.*

*Usura mundi centum ad unum : Deus u-  
num accipit ad centum : & tamen homines  
cum Deo nolunt habere contractum. Sunt  
forsan de cautione solliciti ? Quare ? homo  
homini exigua chartula obligatione con-  
stringitur ? Deus tot & tantis volumini-  
bus caret, & debitor non tenetur. S. Chryf.  
serm. 25.*

SS. ARMOGASTUS ET SATYRUS.  
29. Martij.

**A**Mbos Geiserici Arriani Regis furor  
afflixit, etsi SATYRUS régia do-  
mûs Procurator, ARMOGASTUS Co-  
mes esset. Et SATYRO quidem, ni ad  
per-